

ut dicamus: Quod est, aut corporale est, aut incorporale. Hoc ergo genus est primum et antiquissimum, et, ut ita dicam, generale: cetera genera quidem sunt, sed specialia, tamquam homo genus est. Habet enim in se nationum species, Graecos, Romanos, Parthos; colorum, albos, nigros, flavos: habet singulos, Catonem, Ciceronem, Lucretium. Itaque quâ multa continet, in genus cadit: quâ sub alio est, in speciem. Illud genus, Quod est, generale, supra se nihil habet. Initium rerum est; omnia sub illo sunt. Stoici volunt superponere huic etiam aliud genus magis principale: de quo statim dicam, si prius illud genus, de quo locutus sum, merito primum poni docuero, quum sit rerum omnium capax. Quod est, in has species divido, ut sint corporalia, aut incorporalia. Nihil tertium est. Corpus quomodo divido? ut dicam: aut animantia sunt, aut inanimantia. Rursus animantia quemadmodum divido? ut dicam, quaedam animum habent, quaedam tantum animam. Aut sic: quaedam impetum habent, incedunt, transeunt; quaedam solo affixa, radicibus aluntur et crescunt. Rursus animalia in quas species seco? aut mortalia sunt, aut immortalia. Primum genus Stoicis quibusdam videtur, Quid: sed quare videatur, subjiciam. In rerum, inquit, natura quaedam sunt, quaedam non sunt. Et haec autem quae non sunt, rerum natura complectitur, quae animo succurrunt, tanquam Centauri, Gigantes; et quidquid aliud falsa cogitatione formatum, habere aliquam imaginem coepit, quamvis non habeat substantiam. Nunc ad id quod tibi promisi, revertor, quomodo quaecunque sunt, in sex modos Plato partiatur. Primum illud, Quod est, nec visu, nec tactu, nec ullo sensu comprehenditur; cogitabile est, quod generaliter est: tanquam homo generalis sub oculos non venit, sed specialis venit, ut Cicero et Cato. Animal non videtur, sed cogitatur: videtur autem species ejus, equus et canis. Secundum ex his quae sunt, ponit Plato, quod eminent et exsuperat omnia. Hoc ait per excellentiam esse, ut poeta